

Georg Christoph Detharding

**Rectore Academiae Magnificentissimo Serenissimo Principe Ac Domino Domino
Friderico Principe Hereditario Meclenburgico ... Festvm Pentecostes Pie
Celebrandvm Civibvs Academicis Omnibvs Et Singvlis Indicit Et Hac Occasione
De Saeculo Spiritus Sancti : Disserit Academiae Pro-Rector Georg. Christoph.
Detharding Phil. Et Med. Doct. ...**

Rostochii: Typis I. I. Adleri, [1753?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876590660>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1753 Pfingsten

~~A - 1256.~~ 322.



H 1753

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC

DOMINO

DOMINO FRIDERICO

PRINCIPE HEREDITARIO MECLENBURGICO, VANDALORVM, SVERINI ET RACEBURGI, COMITE ITEM SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE

DOMINO

DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO



FESTVM PENTECOSTES

PIE CELEBRANDVM

CIVIBVS ACADEMICIS OMNIBVS ET

INDICIT

ET HAC OCCASIONE

DE

SAECVLO

SPIRITVS SANCTI

DISSESTIT

ACADEMIAE PRO-RECTOR

GEORG. CHRISTOPH. DETHARDING

PHIL. ET MED. DOCT. HVIVSQVE PROFESS. PVBL. ORD.

SERENISS. DVC. REGNANT. MEGAPOL. CONSIL. AVLIC.



ROSTOCHII,

TYPIS I. I. ADLERİ, SEREN. DVCIS AVL. ET ACAD. TYPOGR.

M. 1256 322





Anniversarium, quod Diuino Spiritui, summo et vni cum Patre et Filio, Deo dedicatum est, festum, hodieque re- currit, in memoriam mihi reuocat SAECVLVM illud SPIRITVS. S. famosum, quod medium aeuum exclu- fit, nec recentior aetas adspernata est. In tot tamque varias il- lud dispositum est formas, vt generatim describi nequeat nisi per statum ecclesiae (sive praesentem s. imminentem) laetiorem et felici- ore, qui Spiritus S. regimini debeatur. De Saeculi voce, aut nu- mero annorum, quibus Saeculum quodque continetur, non ad- tinet disputare, cum parum inde lucis adcipiat Saeculum Spi- ritus S. Saecula in naturalia et ciuilia distribuit CENSORINVS a). Naturale vocat spatum vitae humanae longissimum partu et morte definitum. Ciuale a Romanis ad centum annos reu- catum esse, docet. Nostri maiores, inquit b), quod natura saecu- lum quantum esset exploratum non habebant, ciuale ad certum annorum modulum centum statuerunt. Nec insolens est nostra aetate haec adcepitio. Constat autem, hanc non vnam vel olim fuisse, vel hodie esse saeculi notionem, sed eodem haud raro diuturnio- rem temporis traetum, vtut indefinitum designari. Canit hunc in sensum VIRGILIVS c):

Vltima Cumaei venit iam carminis aetas:

Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.

Alibi d): Aureaque (vt perhibent) illo sub rege fuere
saecula. Sic placida populos in pace regebat.

Non alio sensu vocem hanc adcepisse, reor, Saeculi Spiritus S. praecones, quos de numero annorum haud cogitasse, recordor, nisi quatenus millenarium apocalypticum huc retulerunt. Plus mo-

a) de die Natali c. XVII. p. 31. edit. LVTET. 1583. b) l.c.p. 35.

c) Ecloga IV, 4. 5. d) Aeneid, L. VIII. 324. 325.

* * III * *

momenti habet vox composita : *Saeculum Spiritus S.*, quae ex distributione mundi et ecclesiae in certas aetas nata esse videatur. Si ad remotiora descendere vellem, commemoranda foret traditio domus Eliae, cui Iudaei inhaerent. Ea enim mundo 6000 annos tribuit, atque illos inter aetatem exlegem, tempora Mosis et dies Messiae diuidit e). Propius huc pertinet GREGORIVS NAZIANZENVS, qui, cum pneumatomachis disputans, mundum in tres partitur f) status, ab idolorum cultu ad legem, quo V. T. obtinuerit, et Pater hominibus innotuerit; a lege ad euangelium, quo N. T. et primum Filius, deinde etiam Spiritus S. inclaruerint ; et tandem ab hac vita in illam aeternam, quo tota S. S. Trinitas clarissime nobis sit adparitura, arbitratus, quod inter illa, quae praedicente Christo IOA. XVI.

12. 13. a Spiritu S. sint patefacienda, ipsa etiam Spiritus S. Deiras comprehensa fuerit, qua patefacta tota tandem S. S. Trinitas omnibus, atque sic etiam pneumatomachis manifesta sit euasura. Prope ab hac partitione abest distributio IOBII, monachi Saeculi VI. Tres enim is itidem totius mundi epochas, teste PHOTIO, constituit, nec GREGORIVM, ad quem etiam remittit, deserit, praeterquam quod secundam periodum soli filio attribuit, cum ille contra Filium inter et Spiritum S. eandem diuidat. Nimis ingenio obsequuti sunt hi viri ; longe tamen remoti a Saeculi Spiritus S. Patronis, quorum primi Saeculo demum XII. aut XIII. quaerendi sunt. Enumerant illos IAC. THOMASIVS g) et D. IOA. FRIDER. MAYERVS h). Incipiunt hi ab Abbe IOACHIMO, quem ALMARICO Carnotensi

)(2

ante-

e) vid. VEN. DOM. D. IOA. GOTLOB. CARPZOVI^{II} *Critica S. V. T. P. III. C. IX. §VIII.* p. 972. edit. 1748 D. IOA. ALB. FABRICII *cod. pseudopigr. V. T. VOL. I.* p. 1079. seqq. et IOA. CHRISTOPH. WOLFIUS *Bibl. Ebr. VOL. I. n. 232.* p. 146. seq.

f) *orat. de Spiritu S. s. quinta de Theologia.*

g) *progr. de Saeculo Spiritus S. quod inter eius dissertationes LXIII.* p. 505. seqq. exstat.

h) *diss. an speranda sit Spiritus S. incarnatio, quae adhaeret eius nouae Pietistar. Trinitati* p. 17.

anteponunt, tamquam paulo iuniori. Refertur enim IOACHI-MVS a BELLARMINO i) ad A. 1195; sed ALMARICVS ad A. 1204. At GVIL. CAVE k) de IOACHIMO scribit: *claruit A. 1201. Obiit ante A. 1215.* Si dicendum, quod res est, ALMARICI acta parum explorata sunt, nisi quod is A. 1209. post mortem damnatus sit; IOACHIMVM autem 1201. defunctum esse, testibus idoneis comprobat D. IOANN. ALB. FABRICIVS l). Vt cunque se ista tamen habeant, sequentium causa ALMARICVM praemittam, qui Doctor fuit Parisiensis, cuius errores post obitum demum ex discipulis cogniti sunt, quorum XIV. comprehensi, X. incendio traditi sunt, IV. murali reclusione damnati. ALMARICVS non longe ante defunctus anathemate percussus, corpus eius e tumulo erutum, et velut hostis fidei extra locum fidelium procul positum fuit. Libri quoque Aristotelis quidam combusti, et prohibiti sunt, prout verbis RIGORDI et Roberti s. Hugonis narrat IO. LAVNOIVS m). Spinozismum ALMARICO exprobrat D. BVDDEVIS n), quem ex philosophia Aristotelica eum repetuisse; plerique ex Myistica Theologia errores hausisse, credunt. IAC. THOMASIVS o) scribit: *mirum, nisi Almaricianae haereseos qualiscunque occasio quaerenda sit in Theologia Dionysiana.* Adsentientur ei IOA. HERM. ab ELSWICH p) et S. R. DOM. D. MOSHEMIVS q). Sed cum eius siue atheismo, siue Mysticismo mihi nunc nihil est negotii. Quantum ad Saeculum Spiritus S., quod adseruisse perhibetur, BELLARMINVS r) scribit: *Almaricus Doctor Parisiensis docuit, Legem Dei Patris durasse usque ad aduentum Christi, legem Chri-*

stii

i) *de Scriptoribus ecclesiast. p. 193.*k) *hist. litter. scriptor. ecclesiast. p. 618. 619. edit. 1720.*l) *biblioth. latin. mediae et infimae aetatis L. I. p. 86. de Almarico;**L. IX. p. 107. Jqq. de Ioachimo agens.*m) *de varia Aristotelis in Acad. Paris. fortuna C. I. p. 127. - 130.*n) *thes. de atheismo et superstitione. p. 105. sq.*o) *origin. histor. philos. p. 112.*p) *annot. ad Launonium p. 129. sq.*q) *instit. hist. eccles. christ. antiqua. p. 768.*r) *chronol. p. 103.*

fi usque ad Almarichum, legem Spiritus Sancti usque ad finem mundi:
 Post mortem autem hos errores demum a discipulis sparsos esse
 referunt alii s) v. g. quod Patris potestas durauerit, quam diu
 viguit lex Mosaica, et post tempus Christi et Apostolorum N.
 T. sacramenta finem habeant, et Spiritus S. tempus inceperit,
 quo mediis gratiae nullus amplius locus sit, sed unusquisque
 per gratiam Spiritus S. interius sine aliquo exteriori actu in-
 spiratam saluari possit. Aegre constituitur, hanc veram Alma-
 rici, imo sectatorum fuisse mentem, et nil magistro a discipulis,
 nil discipulis a Pontificiis vel Inquisitoribus, vel Historicis ad-
 fectum esse. Ipse Almaricus fuit vir doctus et litteris probe im-
 butus, vt non immerito dubitaueris, vtrum illi tam absurdas, et
 quae Concilium Parisiense 1, 1209., denuo Lateranense 1215.
 t) non tam haeretica, quam delira iudicauit, iure adscriban-
 tur v). ALMARICI errores de variis ecclesiae saeculis incli-
 nante Saec. XIII. postliminio reuocasse, alterum post GERHAR-
 DVM SEGARELLI Ordinis Apostolorum parentem DVLCI-
 NVM, tradit Gallus quidam superioris Saeculi. Quodsi DVLCI-
 NVS tale Spiritus S. Saeculum finxit, in quo non religio et
 iustitia, vt in Saeculo Patris, nec Sapientia, vt in Saeculo Filii,
 sed charitas sit dominatura, ita quidem, vt, quicquid sub no-
 mine caritatis petatur, etiam si sit actus fornicationis venereae,
 absque peccato concedi, nec licite et fine peccato denegari pos-
 sit x); eius tamen distributio ecclesiae N. T. longe discrepat
 ab illa, quam ALMARICVS laudasse fertur, prout epistolae
 DVLCINI 1300 scriptae argumento recitato docet VEN. D.
 MOSHEMIVS y). Facilius coniicitur, DVLCINVM sua petuisse
 somnia a IOACHIMO, Abbe, cuius eum vaticinia probasse,

)(3

re-

s) vid. *Hist. Eccles. Centuriat. Magdeb. Cent. XIII. L. V.*

t) de quibus videatur IOA. LVD. HARTMANNVS *Conciliorum
illustratorum T. IV. p. 358. 359.*

v) ita sentit D. KORTHOLTUS *hist. eccles. N. T. p. 502.*

x) prout ex Dachierio refert D. ITTIGIVS *progr. de pneumatico-
machis, opusc. var. p. 423.*

y) in der *Geschichte des Apostelordens, L. I. §. XVIII. p. 248. sq.*
 der *Ketzer Geschicht.*

relatum legimus. Ad hunc igitur adcedo, qui sequentibus Saeculi Spiritus S. praemonibus praeluxit. Fuit is gente Calaber, Monachus Ordinis Cisterciensis, fundator denique et Abbas primus coenobii Florensis, atque Congregationis Florensis conditor, qui exente Saec. XII. floruit. Prophetiae laude magnum consecutus fuit nomen, et a Romana ecclesia sanctis adscriptus est z). Scripta eius sedulo recenset D. FABRICIVS a), inter quae commemoratur oraculum b). CYRILLI, eremita montis Carmeli, qui A. 1225. obiit, de statu ecclesiae et magnis tribulationibus ex modo vsque in finem saeculi, et specialius de horrendo illo schismate mystici Antichristi, praecursoris veri Antichristi cum expositione Abbatis loachimi, et mutuis vtriusque epistolis, Veneti. 1517. impressum. Atque hunc CYRILLVM, tertium Carmelitarum praesidem generalem, cuius vitam habent Acta S. S. b) sectatus est IOACHIMVS, eiusque prophetias illustravit, atque Commentariis in prophetas aliquot auxit. Plurima in his tradit de triplici mundi aetate, de septem diuersis ecclesiae statibus, de oneribus sexti status, et imminente septimo felicissimo, quo ecclesia militans regimine Spiritus S. ad summam pertinget perfectionem, de qua ita differit: *Insurget sanctissima et noua religio, quae religio erit libera et spiritualis, in qua Romani Pontifices potiti pace ecclesiae se continebunt: Quam religionem et ordinem Deus super omnes diligt, quia perfectio religionis istius ecclesiae vincet aliorum omnium et temporum et ordinum religionem.* Vnde ad gloriam Spiritus S. pertinere videtur, ut aedificetur altare de duodecim lapidibus ad instar prioris et nomina duodecim tribuum Israel; Quia adhuc constituantur a Spiritu S. ut evangelizent linguis, populis et regibus

z) agit de eo Daniel Papebrochius *Actor. S. S. Maii*, pecul. diss. de Florensi Ordine, *Prophetia, Doctrina B. Ioachimi*, qua repetit, quae Georgius de Lauro, Abbas Cisterciensis de eo commentatus fuerat Libro sub tit. *Magni diuinique Prophetae B. Ioannis loachimi Abbatis Hergesiarum Alethia Apologeticas, mirabilium veritas defensa* Neapol. 1660.

a) biblioth. Lat. L. IX. p. 109. sqq.

b) D. FABRICIVS l. c. L. III. p. 1262.

bus multis c). Acriter eum notauit Henricus de Hassia, Senior, cognomento de Langenstein, Theol. Doctor in Academia Viennensi ab A. 1384 ad 1397, quo obiit d), Libro *aduersus Telesphori, eremita pronosticatoris, vaticinia de ultimis temporibus*, inter alia inquiens: *Abbas Ioachim habetur pro suspecto conjecturatore de futuris ex industria humana.* Quomodo Abbas ille Ioachim tam delirauit, ut putaret post legem Christi adhuc legem Spiritus S. futuram esse, in quam transferenda esset lex Christi, sicut in illam transit Lex Moses, tamquam figura in figuratum et umbra in lucem. Eo magis se commendarunt IOACHIMI, Abbatis, vaticinia iis, qui nouum mox euangelium, vel procuderunt, vel propugnarunt. Designo librum, qui 1624. Parisis publicatus est, titulum *aeterni euangelii* praferens. Vulgo is tribuitur *Ioanni Genesio Qualeo de Parma*, Doctori Parisiensi et Ord. Minor. praefecto supremo 1249.; sed repugnant alii. Quisquis vero sit auctor, societati Dominicorum et Franciscanorum eum deberi, vix dubitari potest. Summa namque libri hinc redit, in locum V. T. et euangelii Christi, quod 1260. euacuandum sit, euangelium regni successorum esse, siue Spiritus S., seu legem perfectiore, a monachis discalceatis patefaciendam e). Quot motus nefandum istud scriptum concitauerit, dici vix potest. Obiecit se ei cum aliis Doctoribus Parisiensibus GVIL. de S. AMORE libello *de periculis nouissimorum temporum*; sed Papa Alexander IV., cui Ordinum mendicantium familiae longe charissimae erant, istum flammis addidit, et vix ab eo tandem impetrari poterat, ut euangelium secreto

c) ex L. V. concordiae haec resert Telesphorus mox excitandus.

d) D. FABRICIVS l. c. Z. VIII. p. 650.

e) de auctore et argumento huius libri plurimi differuerunt, quos magno numero recitant D. FABRICIVS bibl. lat. L. IX. p. 326 et D. MOSHEMIVS inst. hist. christ. antiqu. p. 742. sq. In iis sunt IAC. VSSERIVS de successione ecclesiastica C. IX. et IOANN. AND. SCHMIDIVS Theologus Helmstad diss. de pseudo euangelio aeterno, 1700 ventilata, ex quibus nonnulla excerptam: euangelium Christi non est euangelium regni, ac per hoc nec aedificatorium ecclesiae: N. T. est euacuandum, sicut V. euacuatum est: ut euangelio Christi aliud successit euangelium, ira sacerdotio Christi aliud Sacerdotium succedit: euangelium Christi neminem perducit

creto combureretur. Post hos surrexerunt alii, quos breuitatis causa praetereo. Facere tamen non possum, quin *Telesphori vel Theolofo* mentionem iniiciam, qui inclinante Saec. XIII. profiliit. Fuit is patria Consentinus, presbyter et Eremita Thebanus, iudice Papebrochio rarae virtutis eremita et a Consentinis scriptoribus Beati titulo honoratus f.). Exstat eius libellus 1386 consignatus, quem ANTONIO, Duci Ianuensi inscripsit hac signatum subscriptione : *datum in Heremo agri Hortulanii prope Thebas die III Septembr. A. 1386 g.* Is, quo iure hoc referatur, sequentia eius verba produnt : *Spiritum oportet operari in ordine isto novis*

ad perfectum; adueniente euangelio Spiritus S. enacuabitur euangelium Christi: adueniente tempore Spiritus S. s. tertio mundi statua, quae praecesserunt, reputantur ut vetera propter noua, quae superuenient: N. T. reputabitur vetus et prouicetur: sicut in primo statu mundi commissum fuit regnum s. regimen totius ecclesiae a patre aliquibus de ordine coniugatorum, in quo auctorizatus fuit ille ordo; in secundo statu commissum fuit aliquibus de Ordine Clericorum a Filio, in quo ab ipso glorificatus fuit ille ordo. Sic in tertio statu mundi committetur alicui vel aliquibus de ordine monachorum a Spiritu S., in quo vel quibus ab ipso Spiritu ille ordo clarificabitur. Sufficiant haec.

- f) vid. VEN. D. MOSHEMII Anmerkungen zu der Geschichte des Apostelordens p. 348 der Ketzergeschicht.
- g) integrum libri titulum ex MScto, quo potius est, suppeditat D. MOSHEMIVS l. c. p. 349. impressus an umquam liber fuerit, vt Papebrochius ex nonnemine audiuit, incertum videtur. Nauctus est copiam codicis MScti, quem seruat bibliotheca guelpherbytana, D. IOA. AND. SCHMIDIVS de pseudo euangelio aeterno S. XXVII. p. 22. Thebae illae, prope quas commoratus fuit Telesphorus, quaenam innuantur, explicat D. MOSHEMIVS l. c. p. 381: das Theben, bey dem er lebete, ist das Italiaenische Theben, oder wie es Plinius nennet, das Lucanische Theben in dem Königreiche Neapolis. Die Gelehrten seiner Zeit glaubten, dass das Schloss Kastelluccio in Oberkalabrien ein Überrest des alten und lange zerstörten Lucanischen Theben wäre. Die Einsiedeley des Theolofoorus lag nicht weit von diesem Schlosse an dem Flusse Korazzo, daher saget er, dass er sich bey Theben aufhalte.

✿ ✿ IX ✿ ✿

vissimo (tertio scilicet mundi statu) sicut in duobus praecedentibus operati sunt sua opera Pater et Filius. Alibi: Erunt duodecim noui Apostoli, qui praedicabunt iterum euangelium Dei, ex quo Euangelio postea adfirmat, sanctam et nouam religionem faciendam virtute Spiritus S., quae praecedat omnes antiquas religiones, sanctitate, bonitate, et virtute. Primis annis a Reformatione repetiit, quae Ioachimus, Telesphorus aliquie praedixerant, Auctor libri *Onus ecclesiae* inscripti, qui magno consensu dicitur IOANNES, Episcopus Chiemensis, Archiepiscopi Salisburgensis suffraganeus. Compilatus 1519 prodiit 1524, recusus 1531 et denuo 1620, de qua editione praefatio testatur, eam ex vero originali expressam esse h). Distinguit generalem statum et cursum uniuersi mundi in tres status, statum Patris, cuius sola persona a mundi creatione usque ad N. T. innotuerit in israel i); statum Dei Filii, cuius persona incepit mundo innotescere tempore N. T. k), et statum denique perfectionis s. Spiritus S., qui incipiet post Antichristum, utpote a praedicatione Enoch et Heliae ac a Christi secunda coena s. aduentu secundo, et decurret per Septimum ecclesiae statum, duretque ad extremum iudicium; in quo clarius quam nunc aperietur veritas, qua homines imbuti filium magis intelligent, et Spiritum S. facilis accipient et videbunt atque cognoscent; in quo tum persona, tum et opera Spiritus S. manifestius clarescent, et in quo incipiet regnum Dei et clare splendet intelligentia sacrarum scripturarum l). Non immunis ecclesia Protestantum, postquam ex Papatu egressa est, a saeculi Spiritus S. praemonitus fuit. Testes sunt Enthusiastae et Libertini, qui ab HOORNBEEKIO perstringuntur, ab ARNOLDO laudantur m). Plerumque autem id cum ad nouas reuelationes et perfectiorem illuminationem, tum ad chiliasmum insanum reuocarunt. Testes sunt tot Theologorum querelae. D. LVCAS OSIANDER de iis differens ait n): nominatim mille determinant annos, qui-

)(

bus

h) vid. *Vnschuld. Nachr.* 1713. p. 177sqq et fortges. *Saml.* 1722.

p. 426.

i) c. LXVII. p. 363. edit. 1620.

k) l. c. §. 11. p. 364.

l) l. c. § III sqq. p. 364. sqq.

m) D. I. A. SCHMIDII *disp. de pseud. en aet.* § XLVI. p. 38.

n) *de vaticin. corrupt.* c. III. p. 40.

* * X *

bus Spiritus S. saeculum, quod sibi fingunt, sit duraturum. D. POLYC. LYSERVS eos notauit peculiari dissertatione o), et HENR. AMMERSBACHIVM censura Theologorum Marburgensium, Helmstadiensium et Rintelensium. Quam vario deinceps habitu ornatus et commendatus sit chiliasmus, vna cum saeculo maioris reuelationis nemo nescit, et ex D. IOA. GEORG. NEV-MANNO p) intelligitur.

De saeculo hoc Spiritus S. si quis recte pronuntiare velit, personas eterrores distinguere debet. Illarum quaedam imaginatione se deluserunt; aliae malo animo egerunt. Pontificiorum nonnullos taedium Papatus impulit, persuasos, ecclesiae corruptae ita per diuinam misericordiam et iustitiam diutius esse non licere, sed sua demum aetate initium fieri debere felicioris saeculi q). Alii labascenti Papatui fabuenire voluerunt. Telephorum, refert D. IOA. AND. SCHMIDIVS r), maximo dolore afficiebant calamitates ecclesiae - -. Hinc in preces et lacrymas profusus meditatur, unde tandem haec euenant, et quis eorum aliquando finis futurus sit. Memoratu itidem digna sunt de CYRILLO BALAEI apud HOTTINGERVM s) verba: *Hunc dicunt, tam Mosis, quam Iohannis Euangelistae exemplo, nouam Apocalypsin e coelis accepisse -- . Et per hanc nitebantur impostaores quidam priorem illam Iohannis auferre, vel potius delere et in nihilum redigere, in ea saeculi caecitate.* Quoniam erant tunc -- multi, qui Romam credebant Babylonem esse, ac meretricem illam magnam, et Papam esse Antichristum, ex priore Apocalypsi. Alios superbia et studium reliquos opprimendi agitauit. Nonnulli, inquit VEN. D. MOSHEMIVS t), huius generis eo usque despiebant, ut ipsa Christianae religionis fundamenta gloriae suae causa conuellere non dubitarent. Si errores respicias, alii aliis crassius delirarunt, vtut omnes a regia via deflexerint. Nam i. non datur Saeculum Spiritus S., in quo ipse solus ad extra operetur, reliquae personae quiescant. Sicut non datur Saeculum Patris et Filii; sic etiam non datur Saeculum Spiritus S. Dantur opera ad extra, quae vni personae peculiarter adpropiantur, aut ab vna persona terminatiue profiscuntur;

o) *de regimine spiritus S. §§. 3. 4.*

p) vid. eius chiliasmus subtilissimus. p. 85 sqq.

q) vid. I. A. SCHMIDII disp. de pseudo euang. aeter. § XXV. p. 20.

r) l. c. § XXVII. p. 21. s) bish. eccles. N. T. P. III. p. 443 sq.

v) instit. bish. eccles. christ. antiqu. p. 742.

✿ ✿ XI ✿ ✿

tur; non integrum Saeculum harum operationum. Quo iure repudiamus Socinianos, qui in N. T. solum Christum regem esse, Patremque se abdicasse imperio, nugantur v), eodem iure abominamur Saeculum hoc Spiritus S., quod a solo Spiritu S. regatur. 2. Spiritus S. operationes non ad solum N. T., aut postremam eius partem restringendae sunt, prout Sociniani promissionem Spiritus S. ad N. T. restringunt x): sed in V. T. non minus, quam N. T. se exseruerunt, licet in N. T., et ab adscensione Christi copiosiores conspectae sint. 3. V. T. quidem est sublatum quoad circumstantias, non autem quoad substantiam, doctrinas fidei et morum, 4. Perfectio sanctitatis, quae maior sit, quam fuit perfectio V. T., aut N. T. ineuntis, cogitari nequit. Lex diuina semper fuit perfecta, nec villes umquam patitur adcessiones; perfectionem omni aeuo tantam Deus exigit, et per Spiritum S., quantum hominum corruptio naturalis, et repugnancia morosa eius operationes non impedit, efficere in homine gratiose destinavit 5. N. T. in hac vita haud cessabit, nec in eius locum succedit aliud. Est immutable, Hebr. XII. 28. Quodsi Nouum Saeculum dicendum foret, dici deberet Saeculum Filii, Hebr. XIII. 8. 6. Saeculum, quo nullus locus sit mediis gratiae externis, est fictitium et Scripturae aduersum. 7. Saeculum, in quo Spiritus S., immediate operaturus, cuncta expedit, commentum est inane et periculorum. 8. Chiliæsum insanum, quo cunque colore pingatur, cum Aug. Confess. repudiamus, neque Saeculum maioris revelationis praestolamur. *Sano interim sensu credimus et agimus Saeculum Spiritus S.* Credimus saeculum Spiritus S. extraordinarii et immediati, quod caepit post adscensionem Christi, nec, ut *CONTVERS MIDDLETON* y), Theol. D. et primus Bibliothecarius Cantabr. 1750. defunctus, et IOANN. DAV. MICHAELIS z), Professor Goettingensis inclitus, sentiunt, cum

)()(2

apo-

v) comp. D. SCHOMERVS colleg. *Anti - sociniano* p. 123. sq.

x) vid. *Catech. Racouienſ* p. 594 sqq. ed 1739.

y) *in der freyen Untersuchung von den Wundergaben der Christlichen Kirche nach dem Tode der Apostel*, quae Londini 1749 et a Celeb. CHRIST. ERN. WINDHEIMIO in vernacula translata Hannou. 1751, iuncto eius examine prodit.

z) *der Paraphraſi und Anmerkungen veber die Briefe Pauli, ad 2 Tim. I, I - 7. p. 74* sqq.

❖ ❖ XII ❖ ❖

apostolis prorsus desit, quia ecclesiae plantandae destinatum erat; licet finita prima epocha N. T., non amplius exspectari possit. Cessante enim fine, cessat id, quod propter finem est. Creditimus Saeculum Spiritus S. ordinarii et mediati, quod ad consummationem Saeculi progrediatur. Operatur in eo Spiritus S. per verbum et Sacra menta, interueniente ministerio. Operatur vi non quidem physica, naturali et finita; attamen nec nuda morali, sed supernaturali, effectiva, vereque diuina, quae mediis gratiae libere impressa, et inseparabiliter coniuncta est. Vtrumque Festum hodie recolimus, Deo gratias agentes pro extraordinario Spiritu in Apostolos immediate effuso, qui nos de veritate doctrinae Apostolicae certiores reddidit, et in apostolis nobis doctores exoptatos concessit, et apostolorum opera successores idoneos, qui nos erudiant ad fidem, vitam, salutem. Summum quoque Numen celebramus pro Spiritu Ordinario et mediato, quem nobis quotidie offert, et nisi resistamus, confert uberrime. In eo adquiescamus, immediata et extraordinaria non adpetentes, ordinariis vero et mediatis rite videntes, et in praxi fidei et vitae ostendentes, nos saeculum Spiritus S. ut beneficium tantum magnificare per fructus Spiritus, qui sunt dilectio, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia Gal. V. 22. sqq., omnis bonditas, iustitia et veritas, ut probemus, quid sit adcepsum Deo, nec communicemus cum operibus infrugiferis tenebrarum, quin potius ea arguamus Eph. V 9 sqq. Det Pater Domini nostri IESU Christi nobis iuxta diuitias gloriae suae, ut fortitudine corroboremur per Spiritum eius in internum hominem: ut inhabitet Christus per fidem in cordibus nostris, fixis in charitate radicibus, et fundamento iacto, ut valeamus assequi cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et profunditas et sublimitas: cognoscereque praeminentem cognitioni dilectionem Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei. Eph.

III. 16. sqq.



P. P. SVB SIGILLO ACADEMICO
FER. 1. PENTECOSTES A. R. S. CIC 10 CCLIII.






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn876590660/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876590660/phys_0015)

DFG



✿ ✿ XI ✿ ✿

tur; non integrum Saeculum harum operationum. Quo iure repudiamus Socinianos, qui in N. T. solum Christum regem esse, Patremque se abdicasse imperio, nugantur v), eodem iure abominamur Saeculum hoc Spiritus S., quod a solo Spiritu S. regatur. 2. Spiritus S. operationes non ad solum N. T., aut postremam eius partem restringendae sunt, prout Sociniani promissionem Spiritus S. ad N. T. restringunt x): sed in V. T. non minus, quam N. T. se exsuerunt, licet in N. T., et ab adscensione Christi copiosiores conspectae sint. 3. V. T. quidem est sublatum quoad circumstantias, non autem quoad substantiam, doctrinas fidei et morum, 4. Perfectio sanctitatis, quae maior sit, quam fuit perfectio V. T., aut N. T. ineuntis, cogitari nequit. Lex diuina semper fuit perfecta, nec villes umquam patitur adcessiones; perfectionem omni aeuo tantam Deus exegit, et per Spiritum S., quantum hominum corruptio naturalis, et repugnancia morosa eius operationes non impedit, efficere in homine gratiose destinavit y). N. T. in hac vita haud cessabit, nec in eius locum succedit aliud. Est immutabile, Hebr. XII. 28. Quod si Nouum Saeculum dicendum foret, dici deberet Saeculum Filii, Hebr. XIII. 8. 6. Saeculum, quo nullus locus sit mediis gratiae externis, est fictum et Scripturae aduersum. 7. Saeculum, in quo Spiritus S., immediate operatus, cuncta expedit, commentum est inane et periculorum. 8. Chiliasmum insanum, quo cunque colore pingatur, cum Aug. Confess. repudiamus, neque Saeculum maioris revelationis praestolamur. Sano interim sensu credimus et agimus Saeculum Spiritus S. Credimus saeculum Spiritus S. extraordinari et immediati, quod caepit post adscensionem Christi, nec, ut CONVERS MIDDLETON y), Theol. D. et primus Bibliothecarius Cantabr. 1750. defunctus, et IOANN. DAV. MICHAELIS z), Professor Goettingensis inclitus, sentiunt, cum)) (2 apo-

v) comp. D. SCHOMERVS colleg. Anti - sociniano p. 123. sq.

x) vid. Catech. Racouiens p. 594 sqq. ed 1739.

y) in der freyen Unterfuchung von den Wundergaben der Christlichen Kirche nach dem Tode der Apostel, quae Londini 1749 et a Celeb. CHRIST. ERN. WINDHEIMIO in vernacula translata Hannou. 1751, iuncto eius examine prodit.

z) der Paraphraſt und Anmerkungen ueber die Briefe Pauli, ad 2 Tim, I, 1 - 7. p. 74 sqq.

